

PROGRAMMA
DE
LOCIS SACRAE SCRIPTVRAE
PARALLELIS
SECTIO III.

QVO

AD EXAMEN

A. D. XXIIII. SEPTEMBER.

IN SCHOLA SENATORIA
INSTITVENDVM

ITEM QVE

AD AVDIENDOS IVVENES QVOSDAM PVBLICE IBIDEM

A. D. XXV. SEPTEMBER. HOR. X.

DECLAMATVROS

OMNES LITTERARVM HUMANIORVM
PATRONOS ET FAVTORES


EA, QVA PAR EST, OBSERVANTIA

INVITAT

M. GUILIELMVS THEODORVS CAROL. ALBERTI
SCHOLAE SENATORIAE HELMSTADIENSIS RECTOR COENOBII
MARIAEVALLensis SUBPRIOR ET SOCIETAT. DVCAL.
TEVTON. AB EPISTOL.

HELMSTADII

TYPEIS IOANNIS DRIMBORN.



SECTIO III.

DE VSV AC PRAESTANTIA LOCORVM
PARALLELORVM IN HERMENEVTICA
ET CRITICA SACRA.

§. I.

Introitus.

PERGERE iam faustis sub auspiciis, quo nuperime
substiti, finemque imponere labori, animus est.
Quemadmodum enim parum consulere orbi litterario
ii mihi videntur, qui, quod ylo in litterarum genere
praecipiunt, quomodo salubre pariter ac frugiferum reddi
rerum in cognitione queat, nihil plane curant; ita mihi e
contrario graue incumbere officium ratus sum, vt, me neuti
quam sterile quid, aut vanum iactitasse, sed permagnum
omnino esse, quod ex iis, quae de locis parallelis constitui,
percipi emolumētum possit, singulari tractatione commo
nistrarem. Quia vero in re amplius hic, qui ex Parallelismo
Scripturae redundat, vsus luculentius conspicatur, quam in
duobus illis, quibus in Sacra Scriptura rite interpretanda nit
timur, fulcris, Hermeneutica nimis et Critica, ego qui
dem nescio nullam. Atqui hoc ipsum est, cui iam vlti
ma hac in Sectione toti pro virili vacabimus. Quo quidem
rite peracto, de fructa Parallelorum exacte institutorum
qui dubitare amplius possit, futurum arbitror neminem.
Ea autem esse huius instituti indeoles videtur, vt, de adfe
ctato tractationis ordine anxie minus solliciti, non tam gene
ralioribus quibusdam praecepsis, quomodo constituendus
Parallelorum usus sit, sed qua demum ratione exemplis
ex singulis Scripturae locis hinc, inde depromptis reddi con
spicuus optime queat, de eo potius iam iam dispicere co
nemur.

A 2

§. II.

§. II.

Vtilitas ex regula de Parallelisino in versionibus Scripturae obvio emergens indicatur.

C AVTE vtique prospiciendum esse, ne, quum loci quidam Sacrae Scripturae cum aliis componuntur, eos solum versionibus, nulla textus originalis habita ratione, metiamur, illud quidem iam ex superioribus (Sect. II. §. II.) constat. Breuibus vero haec inde repetere necessarium est, vt, quanta ea re nobis commoda pariantur, eo satius patet. Duobus in rebus maxime cernuntur. Primo enim omnium, illa quidem lege animo infixa, circumspete admodum, quoties ad explicandum alium ex alio Scripturae locum accingimur, cauebitus, ne versiones prius, quales demum cumque sunt, confusamus, quam textum originalem, nosrumque ipsorum de coiudicium illud quidem nullis adhuc praeiudicatis opinionibus captum. Latius sane praeclarus hic usus patet, quam quem oratione iam adsequi aut valeam, aut sustineam. Ita enim compositus qui locorum conciliationem adgreditur, eo profecto numquam non, aut (ne nimium dixisse videar) plerumque tamen verum dicti, in quod inquiritur, sensum attingere euidem crediderim. Ex ipsa nimirum rei natura, variisque illi adiunctis, ex singulari linguae indole, suo ipsis, quod maximum forte censemendum est, iudicio ductus, quidquid eius loci est, dijudicandi periculum facit. Quodsi vel adeo parum felix laboribus eius respondeat euentus, nec verum verborum eruere sensum ipsi contingat, non tantopere, si quid ego video, ea re offici vero inuestigando arbitror, quantopere id accidere rum plerumque solet, quum aliorum versionibus, quae vulgo prostant, eorumque opinionibus, iis fortasse non numquam falsis, aut rei certe non satis accommodatis decepti, praecipites in verba aliorum iuramus, et melius interpretari, nos nec posse, nec debere, temere nobis persuademus. Illa enim via ingressis, dum ad textum originalem ipsum, veluti fontem purissimum accedunt, res saepe numero detegere maximi pon-

ponderis contingit, eas quidem et ad genuinam Scripturae interpretationem, et ad interiorem linguarum indeolem proprius perscrutandam mirifice facientes; aut, si vlo in loco Scripturae difficultatibus forte quibusdam, quae alios hucusque latuerunt, illidant, haut facile remouendis, vel eo consultum magnopere iri rerum cognitioni existimo, quippe quo alii quoque ardore accenduntur, ut maiora iam in locum, de quo agitur, studia conferant. Hac vero qui incedunt via, sibimet ipsi oculos quasi praefringunt, quo minus vnicam, quo tendunt, metam attingant, i. e. de vnico dicti Scripturae, quod in promptu est, sensu recte indicent, et maius illi lumen affundant. Perplures esse locos, quorum verus sensus adhuc reconditus, ut ita dicam, iaceret, nisi homines docti, alia omnia nihil curantes, in interiora eorum adyta penetrassen, quis est, qui neget? Et quot vel adhuc quoque exstant loci, quorum sensus in obscurio latet, quoniam multi, qui eos interpretari sibi sumserunt, versionibus, aliorumque expositionibus nimium freti ultra progredi non sustinent? Nolo vero hoc ita a me dictum, quasi ille ego sim, qui versionibus valorem omnem, omnem auctoritatem prorsus denegem: tanta potius suo quaque in genere pollutant, ut eas laudibus rite celebrare fere non ausim. Attamen eas tum demum consulere, quum locos Scripturae ex se ipsis illustrare omni opere annixi sumus, id omnino praestare, ex modo dictis satis superque apparere credo.

§. III.

In eodem argumento pergitur.

PORRO quoque omnis illa de locis Sacri Codicis parallelis doctrina, et praecipue, quam Sect. II. §. II. suppeditaui, regula commodam, prout mihi videtur, praebet ansam, biblicas, (sit venia vocabulo barbaro) Concordantias eo, quo a plerisque sine dubio desiderantur, modo, conscribendi. Non is quidem ego sum, qui huic librorum generi, ut ut hodie eorum copia datur, suum derogem usum, illum neutiquam contempnendum. Efficitur enim illis quam

VI

maxime, ut ad dicendi formulas et verba, in sacris litteris occurrentia, quorum locum quaerimus et sedem, facilis admidum aditus pateat. At duo potissimum superfunt momenta, quae adhuc frustra in illis desideraueris. *Primo* namque variarum, quae vocabulis aut dictioribus hic illic in Sacra Scriptura insunt, notionum nulla in illis ratio habetur, nulla fere inueniuntur vestigia. *Quod vero*, quantum Scripturae interpretandae studio inferuiat, facile cuique est ad intelligendum. *Deinde* quoque Parallelismi tantum verbalis, (nec huius fortasse ubique) non aequa vero realis datur potestas, h. e. omnia Sacri Codicis dicta, in quibus eadem verba, loquutiones eadem occurruunt, ea quidem, si notiones inquiras, plane sibi repugnantia in cumulum temere congesta sunt; quam e contrario, sono quidem discrepantia, at vi et potestate egregie inter se conuenientia, quam longissime segregata a se injiciem inueniantur. Ea autem omnia, ut in uero plane ordine instituantur, principem ac necessariam Concordiarum virtutem esse censendam, iustus quisque rerum arbitr mecum existimabit. Ad hunc itaque laborem, singulari sua se utilitate commendantem, promouentem, (quem. ut viri subacto iudicio, iisque in sacrae philologiae studio doctissimi aliquando adgrediantur, magnopere optandum est) curatam verae Parallelismorum indolis cognitio nem apprime facere, nulla id eget demonstratione, quippe quod ex ipfa rei ratione appetere luculentissime.

§. IIII.

Vsus Parallelismi V. T. externi exemplo illustratur.

Quodcum saepe mecum praestantem illum ac plane singularem, qui ex Parallelismo tum Veteris, tum Noui Testamenti externo profluit, usum reputo; tot tantaque viorum litterarum sacrarum peritia insignium a) ante oculos versantur documenta, ut huius Parallelismorum generis utilitati comprobandae maiora quae addam exempla, ipse fere nesciam, ut potius in eorum studiis lubenter adquiescam.

At

a) vid. *Sect. I. §. VI. VII. et Sect. II. §. V.*

At enim vero, ne quid vel eo' decidere instituto nostro videatur, hoc quoque loco qualemcumque huius rei exemplum sistamus. Est locus Proverb. VI, ii. hoc in genere probe notandus. Viuam enim quandam hominis pigritiae dediti imaginem postquam in antecedentibus exhibuerat Salomo; mala, quae eum maneant, grauite admodum in hoc commate sic fere exprimit: וְאַתָּה כִּתְלֵךְ רָאשֶׁר וּמָחָרֶךְ נָאֵשׁ מִנְיָן (qui quae quidem verba sic vulgo exponuntur: *veniet tibi* (qui piger es) *more viatoris*, aut *hominis* *scutati* *indigentia ac egestas*. Errasse hic ad ynum fere omnes, qui hunc locum aut verterunt, aut fusius interpretati sunt, mihi videntur in voce סְהָלָךְ, cui hoc in loco notionem *viatoris*, illam a re plane alienam, inesse falso sibi persuaderunt. Et ita tamen diuus LUTHERVS haberet: *So wird dich die Armut überleben, wie ein Fussgänger.* ita TREMELLIO ET CASTELLO: *adueniet tamquam viator expeditus paupertas tua.* nec aliam quoque interpretandi rationem ingressus est Vir CL. FRID. EBERH. BOYSEN in litteris alioquin Arabicis nostra aetate facile princeps. b) ita demum censent SEBAST. MVNSTERVS, FRANCISC. VATABLVS, SEBAST. CASTALIO, ISIDOR. CLARIUS, IOAN. DRVSIVS, ROUDOLPH. BAINVS, c) quamvis hi in expositione vocis *viator* non aequae omnes inter se conueniant. Alii enim eorum, qui, quantam hoc loco difficultatem pariat notio ista, probe perspexerunt, hac ratione e medio tollere eam studuerunt, ut verterent: *si irruerit egestas, illa non durabit, sed veluti viator pertransibit.* d) At omni hinc interpretationi repugnat ipsa rei natura. Pigrum enim dum adorta egestas est, non profecto mox effugere rursus solet, sed per longum admodum temporis spatium, quin per totam fere vitam cruciare. Alii itaque aliquanto proprius ad sensum accidentes significationi *viatoris* addiderunt notionem τε *improuiso*, hunc in modum: *veniet egestas ex improuiso, ut viator.* e) Verum enim vero in notione

b) in den kritischen Erleuterungen des Grundexlex der h. Schr. A. T. Siebentes Stück. Halle CICIOCCCLXIII,

c) *Inset. Criticis sacr. Tom. II.*

d) *vid. l. c.*

e) *cf. l. c.*

VIII

tione viatoris, ut per se quidem est, non semper *improuisi*
quid praecipue contineri, aut certe inopinatum eius aduen-
tum parum nos plerumque tangere, inter omnes constat.
Haut exiguam itaque spirantis in loco Salomonis imaginis
venustatem prorsus eo evanescere arbitror. At quomodo
hinc rite interpretandum? — Praedicere desidioso pauper-
tatem, ut malum quoddam sive infortunium, tum *ingens*,
tum irruens ex *improuiso*, instituisse Salomoneum, id res
omnes, quae circa sunt, extra omnem dubitationis aleam po-
nunt. Quibus rebus adductus vocem **סָחָרְךָ** per *latronem*
commode veri reor, quippe cui vtrumque, et adoriri alios
inopinato, et damnum iis inferre, mirifice conuenit. Et
hanc quidem vocabuli vim ac potestatem Parallelismo exter-
no cum lingua Arabica facto vnice debemus. Apud Arabes
enim vocis saepius laudatae radix, nimirum **لَرْ** indicat:
vastare, desolare, praedari, vnde **سَاحِلُ** est *praedator, latro.*
Videntur quoque in LXX eiusmodi quid cogitasce, qui ver-
terunt: **אֵלֶּר יַעֲשֵׂה וְתַחַת כָּלֹבֶד** καὶ οὐδεποτέ ἡ μετά.
Quo commoda admodum haec emerget explicatio: Ita ad-
orientur te ex *improuiso* egestas, sicut latro; et *inopia et vir armatus*,
cui resistere nemo valet. Hoc denique pacto senten-
tiarum Parallelisimus, ille in proverbiis neutiquam negligendus
egregie prodit, ita, ut τῷ στὸν αἴονι φύστον mirum,
quantum respondeat ḥ **סָחָרְךָ** latro, ad hanc fere legem:

בְּאֵלֶּר | סָחָרְךָ | רָאשָׁךָ
וּבְאֵלֶּר | סָחָרְךָ | סָחָרְךָ

§. V.

*Exemplum ad probandam Parallelisini N. T. externi utilitatem
subicitur.*

E VICTO sic, ut opinor praeclaro, qui ex compositione
locorum V. T. cum exteris linguis proficiscitur, vsu;
idem quoque in *Nouo Foedere ut experiamur, conueniens*
est. Incidit mihi forte quadam de eiusmodi documento co-
gitanti locus in Epistol. Paul. ad Hebr. VII, 2. obuius, qui
instituto huic haut inepte inseruinerit. Celebratur ibi Melchi-
seucus

sedecus tamquam *άνδρως ναι αμύτως*. Vexasse haut parum interpretum non nullos effatum hoc videtur, nec satis inter illos, eo potissimum quid indicetur, conuenisse. Ipsum ad eo *LUTHERVM* singularem eius vim non omnino perspexisse, probabile est, cui ita exponere placuit: *ohne Vater, ohne Mutter*, quasi nullis prorsus parentibus vsus fuerit Melchisedecus. At, ne aliis quoque bene multis iustas hac in re laudes derogare videar, ingenue fatendum est, recentiorum potissimum plerosque haec verba exacte et egregie ita redidisse: *cuius parentes prorsus ignoti sunt, quippe nusquam nec in Sacra Scriptura, nec ab alio scriptore commemorati.* Verum enim vero vnde denum haec verborum potestas constet, de eo quidem merito discipitur. Illa namque vocula *ἄπολη λεγέμενα* in sacris litteris sunt, qua in primis dueto ratione iis hic instar argumenti vii placuit. Exteri itaque graecarum literarum scriptores soli hic consulendi sunt, et habent certe, quo desiderio nostro satissimant. In mentem venit ex tragicorum scriptorium (in quibus ceterum, vt Sect. II. §. V. admonui, circumspecte versandum) fere praestansissimo, *EVIRIPIDE* puta, locus quidam, illustrandis saepe laudatis vocabulis maxime accommodatus. Obuius ille est in *Ione* v. 107. et 108. vbi personam *Ionis* ferens ita fere pronuntiat:

— — — *ώς γαρ άμύτως,
Απάτωρ τε γεγώς, τες θείφαντας
Φοίβε ναύς θεσπεύω.*

— — — *Non tamquam incerta matre,
Et incerto patre natus, illud, quod me aluit,
Phoebe templum colo, f)*

Quid, quæsto, siue Ione in ipsum spectes, siue res, quæ circa sunt, in aprico magis est, quam quidem vocum: απάτωρ

f) Adiecta haec interpretatio legitur in optima, qua vñus fui, *EVIRIPIDIS* editione, quæ prodidit opera et

Studio IOSVAE BARNES Can-
tabrig. CCCCCXIII. fol.

B

X

τρεὶς καὶ ἀμύντρος vera notio, modo a me suppeditata? g) Tantum valere sedulam Noi Foederis cum profanis scriptoribus compositionem ad dilucidanda varia eius effata, eaque non numquam grauissima, vel hoc parui ponderis documento tamen comprobatur. Sed de his satis. Iam de ceteris quoque disipiciamus.

§. VI.

De usu Parallelismorum : realis ex mente Spiritus Sancti : studio interpretum propheticorum, dogmatici et moralis exponitur.

M E V M erat, vt instituti ratio exigit, documentis iam quibusdam, in illustri positis monumento, quanta in Hermeneutica sacra ex Parallelismo singulari Spiritus Sancti indicio tali, prouenant commoda, ostendere; deinde, idem quoque vt in consensu Scripturae propheticō, morali et̄ dogmatico cernatur, curare. Vsum vero, qui huius loci est, omnem tum exempla Sect. I. commemorata, tum regulas Sect. II. suppeditatas insignem satis reddere atque conspicuum arbitror, adeo, vt noua illis adnectendi labore superfedere merito hic queamus. Prouoco itaque in primis ad dicta 2 Sam. VII, 14. parall. Hebr. I, 5. Matth. II, 23. h) Ps. VIII. parall. Hebr. II, 6-8. i) quae omnia eius indolis esse videntur, vt suo quaque in genere haut parum huic rei asperant utilitatis. Non autem omitendum hic duxi, consensum Sacri Codicis *dogmaticum* in refutandis, quibus alii grauissima religionis momenta impugnant, argumentis emolumenatum prodere plane singulare. Illam nimurum plerunque callent artem, vt sciret admodum eos Scripturae locos in usum, aut porius abusum vertant suum, qui, dum sensus eorum, obscurior aliquanto et brevior, latet, aut dubia in animo excitant, aut non penitus perspecti sinistre exponi facile possunt. Quid tunc? Scutum nobis veluti ministrat Paral-

g) Refert quoque, quod hic obiter libamus, apud Graecos δύσκαρπα καὶ h) vid. Sect. I. §. VIII.
ἀργύρων hominem loco ignobilis natum, i) vid. Sect. II. §. VII.
cuius maiores in obscuro latentes.

Parallelismus dogmaticus contra aduersariorum tela. Copia enim eius beneficio nobis datur locorum adeo singulari sua perspicuitate illustrium, vt obscuritatem omnem, omnem in parallelis difficultatem e medio prorsus tollant. Quo sane adminiculo suffulter fortissimo, quantum acerrimus quisque dogmatum defensor potuerit, videre est in scriptis, quae prostant, dogmaticis, iusti causulis rerum arbitri iudicio sat is iam dudum comprobatis.

§. VII.

De usu consensu historici in Hermeneutica agitur.

QVEMADMODVM in rebus gestis usquam commemoratis omnia, quorum hic, illic sit mentio, adiuncta sedulo sunt conquirenda, vt totus historiae ambitus pateat; ita prae primis in praecitate factis, quae Sacra in Scriptura memoriae prodita inueniuntur, locorum iis parallelorum ut ratio habeatur, necesse est. Illi enim quantopere vel tum, quum factum aliquod leuiter tantum velut in superficie tangunt, ad interpretationem rei cuiusdam gestae omnibus numeris absolutam valeant, de eo quidem iam supra k) exposui. Elucere autem praeclarus eiusmodi analogiae locorum usus exinde maxime mihi videtur, quod aut dubiis in facto quodam historico non numquam obuiis, aut difficultati in interpretando, et obscuritati remouendis mirum in modum sit accommodata. Vtrunque iam iam exemplo quodam euincere, in animo est. Prius quidem continetur Genes. XXXII, 24-29, quo in loco insignis illa Iacobi collectatio cum Deo et hominibus (וְאַשְׁנָה וּמִלְחָמָה עַם־אֱלֹהִים) litteris consignata est. Ea est facti hic commemorati, eius quidem notatu dignissimi, ratio ut, si ad quaedam tantum historiae momenta, et narrandi modum, prout hic habetur, vnicce respicias, merum, cum quo confixerit Iacob, suisse hominem, facile tibi primo obtutu persuadeas. Et fuit reuera inter alios, quos hic adducere non est e re nostra, famosus ille religionis christianae hostis, MATTHAEVS TINDALL, qui huic sententiae calcum

B 2

lum

k) Sect. II. §. X.

XII

lum absque consilio adiicere non dubitauit ^{ij.} At enim vero evanescit subito, quidquid ingeniolum sibi relictum hic somniat, simul ac effatum Hoseae in subsidium vocatur, quod exstat Cap. XII, 3. Ibi enim luculentier omnemque circa dubitationem de Iacobō affirmatur, בָּבוֹן שְׁרָה אֶת־אֱלֹהִים quod robore suo cum Deo egregie dimicauerit; cui accedit et hoc, quod versu sequenti, viciss angelum, nihilominus tamē faustra quaenam ut sibi precaretur, lacrimis efflagitassē dicitur. m) Hanc quoque huius analogiae perspicuitatem sentiens interpretum doctissimum, IOAN. CONR. DANNHAVERVS, n) ne existimes, inquit, laetatorem illum, qui cum Iacobō p"dem contulit, Gen. XXXIII, 24. virum nude, ac hominem vulgarem; ideo ad Deum et angelum increatum id restrin"git Oseas XII, 3."

Posterioris, ad quod nostra iam disputatio vertitur, occurrit Ioh. VIII, 56. ubi Christus talia de Abrahamo refert: Ἀβραὰμ ὁ πατὴρ ὑμῶν ἡγαλλάσσετο, οὐαὶ ἀδὲ τὴν ἡμέραν τὴν ἐκύνην, οὐαὶ εἰδεῖς, οὐαὶ ἔχοντες. Abrahamus, ille parens vester, videre diem meum gestiūt, et vidit, idque laetus est. Haerent hic interpretum plurimi, qualis tandem dies Christi indicetur, cuis videndi Abrahamus cupidus fuerit, et quanto demum eum viderit. Multi in medio relinquunt, et silent proorsus haut pauci, quin CRITICI SACRI fere omnes, praeter NICOL. ZEGERVVM ET HVG. GROTVM, o) qui vero et ipsi adlati ad hunc locum non satis consuluisse sensui videntur. Vidisse nimur Abrahamum τὴν ἡμέραν τῆς χριστῆς (quam, praeante Syro interprete, per tempora Messiae explicant) autem, partim "quam in immolatione filii sui Isaac Christianum pro salute humani generis immolatum iri per prophetiae Spiritum recognoverit, partim, quam fiduciae suae in Deum hoc praesumim retulerit, quod Isaacum quasi e mortuis

^{ij} in libro: *Christianity as old, as the Creation.* C.XIII. Lond. C1715CXXXI. 4.
^{m)} Ita interpretari v. 4. doct. orum iudicio suadet FRANCISC. VA-

T A B L V S, infert. Critic. sacr. Tom. I. C1715CXLI.
ⁿ⁾ in Idea boni interpretationis. Argentor. C1715CXLI.

o) cf. laudatos saepe Critic. sacr. Tom. III.

"tuis receperit." Ea autem, ut nihil diffiteat, non adeo firmis superstructa fundamentis, et altius praeterea repetita vindentur, quam quae Abrahamo hoc quidem loco apte fatis conueniant. Obuiam iri cunctis, quae huic quaestioni insunt, difficultatibus contumode posse, equidem censeo, si ad eas Genes. C. XVIII totum, illud scilicet vnicce huic loco parallelum. Apparuit enim Deus trinus, hinc quoque ὁ λόγος ἀσαρεος (ΘΝΥΤΗ ΘΝΥΤΗ v. 2. ΘΝΥΤΗ v. 1.) Abrahamo, et hunc in modum ei annuntiat v. 16. 14. filium ex Sarali naescendum: שָׂבֵב אַיִלְךָ בְּעֵת חֹה וְחֹמָה־כֵּן לְשָׁרָה אֲשֶׁר reuism te, anno vertente, habebit Sarah, uxor tua, filium. Quid magis naturae erat accommodatum, quam quod Abrahamus hunc diem Christi (quo nimurum redditurus esset) videre gestire, diem, inquam, quo ipsi res, spem fere omnem ac fidem excedens, contingere; diem, quo filium, spem magnam olim ferentem, nancisceretur? Et vidit diem hunc, et exsultauit. Stetit namque Deus promissis, et iterum conuenit Abramum, eo ipso, quod Sarah ederet partum. Genes. XX, 1. p) En facilem, si quid ego perspicio, sensum! Sed quatenus autem eum attigerim, aliorum sit iudicium. Ego vero, et melioris interpretationis si quando alii mihi suppeditabunt argumenta, maxime laetabor.

§. VIII.

*Quantum faciat Parallelus historicus ad Criticam,
docetur.*

Quo magis arduum illud Criticæ studium singulare sua in eruendo locorum Scripturae sensu praefat utilitate, eo profecto maioris momenti censenda illa sunt omnia, quibus huic litterarum generi consutum quodammodo iri perspicuum est. Et tanti quidem hac in re esse τὴν συμφωνίαν, quae ex locis enascitur historicis, mihi persuasum est, ut eam ultimo loco nequaquam ponendam existimauerim. Pater hoc,

B 3

vt

p) Conscripta iam iam a me hac interpretandi ratione, ita quoque fere statucess. Clariſſ. MOLDENHAYE.

RVM in der gründl. Erläuterung der schweren Stellen der b. Bücher N. T. potesta nihili competitum est.

XIII

ut alia mittamus, sequenti exemplo. Deprehenditur Auctor. VIII, 5, ubi Lucas in enarranda miraculosa Pauli conuersione occupatur, varians quaedam, ut in scholis Criticorum vocatur, lectio. Deest enim quibusdam in codicibus post verba: ὁν εὐ διάεις — totum illud: σκλήρον τοῦ πόσος νέργα λαυτίζειν, usque ad verbum: αἰαίσθηι, in aliis vero adest q). Suboritur hinc quaestio, quorum sequi partes, hic potissimum conforme sit? Quodsi Viros Clariss. MILLIUM et BENGE利VM r) consulas, eos quidem omnia illa a voce σκλήρον usque ad ἀντὸν tamquam olim ex Auctor. XXVI, 14, in margine, (nescitur, a quo,) adiecte, deinde vero textui ab indoctiore quodam inserta plane reuicienda esse ex hoc loco censere deprehendes s). Ego vero, vel in ipso hoc argumento contineri, quae regeri Viris illis longe literatissimis queant, et locum egregie huic conuenientem Auctor. XXVI, 14, qui refert omnia illa, de quibus lis mouetur, verba, optime ad hanc firmandam lectionem compositum esse, non possum non fateri. Quoties enim in Scripturae quodam loco, qui factum historicum tractat, eoque alteri eiusdem argumenti parallelo, momentum aliquod plane necessarium, sine quo multilata ουντα res suo destitueretur pondere, codices habent alii, alii omittunt; ad veritatem accedit maxime, genuinam esse habendam priorum lectionem, neutiquam vero vel ignorantia, vel pia fraude suppositam. Haec, quomodo pro nobis stent, iam, age, videamus. Efficiunt sane, si rite persensitatur omnia, verba: σκλήρον τοῦ πόσος νέργα λαυτίζειν, primariam quadam adloquutionis Christi partem, eam quidem ad percutendum Pauli animum longe efficacissimam. Qua vero remota, parvam inesse huic orationi vim, Lucam perspexisse, illud

q) Inter eas, quae verba haec agnoscent, veriores, easque antiquissimas, potiores sunt hac: Latina, Aramaica, Arabica, Aethiopica, et Syriaca. Qui vero haec non habent codices, sunt fere: Exemplar Complutense, Evangelia Collegii Lincolnensis Oxon. Manuscripta Colle-

gio Oxon. Magdal. et Manuscripta Collegii Novi Oxon. vid. Nou. Teſt. Graec. ex edit. Millian. Amstelaed. C1510CCXI.

r) in *Adparat. critic. ad h. l.*

s) Eandem fecit sententiam sottere videtur ERASMVS RoterodAM. infert. *Critic. sacr. T. III.*

vero ei tribuere, iusque et fas est. Neque omittendum est, primo loco hic mentionem fieri mirandi huius euentus, a quo, si quid ibi decesset magnopere necessarium, valde alienum foret. Ad quod tandem accedit, Paullum potius ipsum fortasse hoc sibi sumere potuisse, vt in recensenda sua ipsius conuersione silentio quaedam praeteriret, quam quidem Lucam, cuius erat, totum esse in re, vt erat, curate atque integre describenda. Est quoque haec, quam tuetur Cl. CHRISTOPH. AVG. HEVMANNVS ^{t)}, et quam aliis praeterea stabilire argumentis studuit Vir S. V. IOAN. HENR. DAN. MOLDENHAVER ^{u)}. Quos itaque auctores, in doctrina philologica principem obtinentes locum, vt sequar, valde inclinat animus.

§. VIII.

Vsus ex analogia dictioris emergens loco quodam Scripturae describitur.

OCCUPATVS in commononstranda locorum parallelorum vtilitate sane vberrima, quem locum quemdam Scripturae circumspicerem, ex quo, quantum ea in primis in Parallelismo dictoris cerneretur, optime appareret; haut facile illustrius quoddam huius rei argumentum haberi duxerim, quam quod exstar Genes. IIII, 8. vbi de Caino sic fere disserit sacer scriptor: *וַיֹּאמֶר קָנָן אֶל־חֶכְלָאָחָב וְקָמָן קָנָן אֶל־חֶבְלָאָחָב וְהַרְגֵּנוּת*: *Tum dixit Cain Abeli fratrem suo adgressus interseceret.* Tanger statim sine omni dubitatione omnes fere intente legentes singularis verborum ratio: et dixit Cain Abeli — *Quid demum dixerit, quis rerum cupidus non interroget?* At eorum, qui respondeant, magna est paucitas, et vel ipsi illi nondum satis respondeunt. Viderur hic esse nodus veluti Gordius, in quo solvendo multi aut exciderunt aulis, aut prorsus non adgressi labo-

t)
in der Erklrung des Neuen Testam.
Vierter Theil. Hannover 1751 CCII II.
u) in der grndl. Erklrung der schw-

ren Stellen der h. Bcher N. T. Erster
Theil. Leipzig. 1751 CCXXXIII. 4.

laborem sunt. Plurimi configunt ad lacunam quaenam, ita explendam: *Dixit Cain Abeli; egressiam in agrum, certi nisi potissimum paraphrasi Hierosolymitana, quae ea refert, quam deinde sequuntur sunt in LXX et vulgatus interpres.* At, ut ornitam iam, valde exiguum aut fere nullam huic additamento inesse vim, et cauendum esse magnopere, ne absque summa necessitate ellipses eiusmodi statuamus; equidem, num rei conforme sit, Cainum talia suassisse Abeli, autumare, non perspicio, quum ipsa eorum viuendi ratio iam ferret, ut quotidie fere ruri degarent. Aliis ita reficere lacunam placet, statuendo; aut *Cainum Abeli omnes dixisse oburgationes, quibus eum obiurgauerit Deus, eut, amice et blande eum compellasse, ut eo magis animum ad eadem pronum dissimularet, ut minus sibi caueret Abel x).* Verum in hanc quoque sententiam quo minus descendam, prohibeor. Etenim yti prioris nulla fere ratio subest, ita in posteriori id maxime obstat, quod Caino vel parum, vel omnino non aptum esse videatur, ut, graui ira, tanquam furore, quem vultus referrebat, accensus (v. 5.) dissimuleret, aut proflus impensis, de infidis Abeli struendis cogitaret, id quod præterea, ut mihi videtur, in illam mortaliū infantiam minime cadit, in qua vel in ipsis adeo yitis simplicitas quaedam, ut ita dicam, cernitur. V. S. V. TELLERYS denique vertit: *Cain insidiatus est Abeli, y) ac coniicit ita, et ipse adhuc in votis habet, ut vir quidam doctus rariorem hunc vocis ysum ex Arabicis firmare studeat. Quomodo itaque interpretandum?* Fas sit, mea iam addere adlati. Reddenda nimirum puto verba: *לְבָרֶךְ אֶלְךָ תִּמְכַרְפֵּת* tum increpando s. maledicendo minatus est Cain Abeli. Ad quam interpretationem locis potissimum quibusdam adducor, huic, quod distinctionem spectat, probe conuenientibus. Vtrumque enim, tum maledicere s. increpare, tum minari (quod hic commode, yti arbitror, quoniam pleraque minas increpationibus produntur, coniunxi)

y) cf. *Critic, sacr, T. III,*

y) in *Epistol. ad BENIAM. KENNIZ. COTVM.*

(unxi) significare verbum רָאַת, patet ex ipsa eius natura, quia partim *omnia dicendi genera*, partim, *omnia, quae dicendo profervuntur vel aguntur, eo exprimi solent.* Hinc quoque denotat et *policeri, scilicet benedicere, et minari, et id quidem, quod per se patet, verbis, i.e. interpretando scilicet maledicendo.* Pruis sole clarius patet, ut alios locos praeteream, ex Deut. VI, 3. posterius videre est ex Ief. V, 24. vbi vocem רְאֵת dicta minantia, *commixtiones* indicare, ex ipsa argumenti ratione manifestum est. Ita quoque notio *maledictionis* sive *interpretationis* probari quodammodo posset ex voce רְאֵת, cuius eadem est ratio. Occurrunt nimis in inscriptione Ps. VII. רְאֵת וּרְבִרְכָּת שׁ i.e. *maledictiones Simei, quibus Dauidem interpretavit* 2 Sam. XVI, 8. Quodsi itaque voci haec constat notio, eam quoque cum re nostra bene congruere putauerim. Ruitur sic Cain, quae est prava mortalium conditio, virtio in vitium. *Primo* ira abruptus Abelem odio prosequitur: *deinde* ab ira in *minas et maledictiones* fertur, a quibus *denique* praecipitem se dat in *caedem*. Sic sentio. An recte, ab aliis ut edocear, in votis habeo.

§. X.

Quantum Parallelismus sententiarum valeat in Hermeneutica, ostenditur.

RESTAT ultimum, ut de vsu quoque, qui ex elegantiū eodem in loco sententiarum consensu largissime hauritur, quaedam hic differam. Tantum profecto illum esse, ut mea amplius laude non indigeat, ex regulis atque exemplis Sect. II. propositis facilis quisque negotio intelliget. Cui vero rei ut nihil plane desit, quidquid huius loci est, hoc complectamur: *Quoties in explicandis eiusmodi locis sententiosum illud dicendi genus, minime negligendum, perit; tunc certe plerunque aut interpretatione ipsa, aut forte non numquam vulgaris textus lectio suspecta est babenda.* Vsus in Hermeneutica illo, hoc in Critica efficitur. Ad probandum prius momentum maius nullum nobis exemplum succurrit, quam cuius dudum copiam dedit Vir S. V. GUILIELM. ABRAH. TELLERVS 2) ad Ps. VIII, 2. quod

2) in der Beurtheilung des ersten Theils
der Cramerschen Uebersetzung der Psal-

XVIII

יהוָה אֲדֹנֵינוּ : מֶלֶךְ כָּל־הָאָרֶץ אֲשֶׁר תִּנְחַזֵּק
 Vertunt interpres ad unum fere omnes : *quam splendidum est nomen tuum in omni terra, quod (qui) gloriam tuam posuisti (dedisti, imposuisti) in caelis.* At enim vero, ut nihil iam de eo dicam, sensum verborum : *posuisti gloriam tuam in caelis,* anxius esse quaesitum, aut languidum videri, tollitur eo simul apertus hic, isque praestantissimus sententiarum Parallelismus, nec parum totius hymni officiatur arguento. Addo, in verbo תהָא obuiam difficultatem ipsos sensiles interpres, ad formam quamdam irregularē configuentes, quae quidem aliunde euinci neutiquam potest. Referamus vero haec, analogiae illius sententiarum bene memores, ad regulam modo exhibitam ; et facilis proibit hic sensus : *quam splendidum est nomen tuum in omni terra ! quam magnifica gloria tua in caelis !* En egregiam hic sententiarum conformitatem !

יהוָה אֲדֹנֵינוּ { מֶלֶךְ הָאָרֶץ | בְּכָל־הָאָרֶץ | אֲרוֹן | שְׁמָךְ | תִּנְחַזֵּק | הָרָה | הָרָה | אֲלֵי הַשְׁמִים }

En totum hymni argumentum, quod his duobus continetur, ut partim ostendat Davides, quanta Deus ediderit maiestatis documenta in terra

מֶלֶךְ אֲרוֹן שְׁמָךְ בְּכָל־הָאָרֶץ
 partim, quanta in caelo.

אשר תנָה הָרָה אל־הַשְׁמִים

Vocem eamdem, ac antecedentem מה habere potestatem, eamique reuera particulari esse interrogandi, ex multis Scripturae locis elucet, quos hic adducere superuacaneum foret. Verbum denique תהָא (quo, quum notionem eius hic receptam adhuc in dubium vocet, Vir S. V. BOYSEN aa) prohibetur, quo minus huic interpretationi suffragetur,) re ipsa esse adiectuum, quod descendit a radice להָא celebravit, laudavit, eamque ob causam designare : magnificum, gloriosum, laudan-

za) in den kritischen Erläuterungen des Fünftes St. Halle 1515:1562.
 Grundtextes der h. Schriften des d. T.

laudandum, equidem non credo, esse, eur dubitemus. Etenim, quod in lexicis hac forma non appareat, id lexicographis, non voci dandum existimo, siquidem eorum studia in diuidenda vera vocum natura, inter substantiua, an aduerbia, inter verba, an adiectiua, et quae sunt id genus alia, debeant referri, valde adhuc desiderantur.

§. XI.

*Parallelismum sententiarum sacrae Criticae studio inseruire,
comprobatur exemplo.*

Ad posterius tandem momentum, in describenda consensu sententiosi vtilitate, quam in Critica exserit, repositum, deuenit disputatio nostra. Cogitanti mihi de exemplo quodam, quod illustrem maxime redderet huius, de quo sermo est, consensus usum, obtulit se mihi locus Pronerb. XXI, 21. vbi sic se habent verba : **רְאֵת צְדָקָה וְחִסְרָה וּמִצְרָיִם צְדָקָה וְכָבֵד**. *Quicumque sectatur iustitiam et misericordiam; nanciscetur uitam, iustitiam et gloriam.* Difficultatem haut exiguum parit in apodoſi, sine altero sententiarum membro, vocabulum **צדקה**, et, quae ei inſit notio, merito quaeritur. Ad interrogatum vero respondere num quis ſufficienter queat, valde dubito. Vulgaris certe interpretatio : *inuenire iustitiam omni fere in hoc dicto potestate caret.* Conſuletur itaque fortassis huic quaeſitioni, acrius paulo ad sententiarum concentum intendendo animum, qui, si vlo in Veteris Testamenti volumine, in Proverbii ſane Salomonis eminet quam maxime. Verborum autem, vt in codicibus vulgo leguntur, ſi ratio habetur, facile appetet, illum exſpirare. Fas igitur ſit, coniicere, vocem **צדקה** in ultimo membro incauti librarii vitio forte irrepelliſſe, adeo ut migrare e textu debeat. Proliuſ eo magis eft animus ad id ſtatuendum, ipſis r. LXX praeceuntibus, qui vocem illam omittunt. Evidit certe ſensus facili hac coniectura commodus, et grauis illa ſententiarum *tauωνια* egregie ſic eluet :

רְאֵת | צְדָקָה | וְחִסְרָה | וּמִצְרָיִם | צְדָקָה | וְכָבֵד

*Studens iustitiae et misericordiae
Consequetur vitam et gloriam.*

Sed

Sed nolo amplius morari lectores. Proposui hucusque, quidquid de locis Sacrae Scripturae parallelis animo iam dudum praesumseram. Quantum eo et rei ipsius scopo, et Sacrae Hermeneuticae studio prospicerim, haut in magno equidem ponam discrimine; allorum potius hoc sit iudicium. Mibi vero ut in magna felicitatis parte ponetur, si laborem hunc qualcumque non sua carnis utilitate, sicutis contingat experientia; ita quoque, si forte erunt, qui, quo emendari hic, illuc mea queant, et ad maius euehi virtutum fastigium, mishi suppeditaturi sint, gratissima certe erga eos mente me aeternum preceptus pitabo.

Accingor iam non sine magno laetitia sensu ad iucundissimum, cuius ergo haec confignata litteris, officijs, ad aperiendas denas litterarum elegantiorum PATRONIS reique scholasticae EXORNATORIUS scholas nostras, vbi iuuentus in patriae spem succrefens Examine a. d. XXIII. Septembr. habendo, non quantum corporis, vt olim iuvenes Romani in Iudis, sed quantum animae virtutibus valeat, omni opere ostendet. Habeant quoque a. d. XXV. Septembr. hor. X. lectissimi quidam iuvenes orationes, maximam partem ab ipsis exaratas. Ita vero recitantes se se excipient:

JO. FRID. CHRISTOPH. MAHRENHOLZ, Halberstad. de patria amore atque constantia, illyrisibus quondam Romanorum virtutibus, latine disputatione.

LVDOV. HENR. DV RGI, Brunopolitan. hominem omnia ad factorum conscientiam referentem, patro sermone describet.


IO. GEORG. CHRISTOPH. SCHRADER, Hildesiens. mysticam ad extollendum quinam esse efficacissimam, latina oratione comprobare sufficiet.

AVG. PAUL. CAR. EHRENFURT, Helmstadien. de natura, optima ad sapientiam et felicitatem duc, tentorio dicat. Denique
IO. CAR. DAN. CVRIO, Helmstadien. breui, non corporis etiam oblectamenta ad veram faciunt felicitatem, facta disquisitione, gratias agit auditoribus, quod benevolas praebere aures declamantibus voluerint.

Quemadmodum in votis maxime habeo, vt iuvenes nostri ad vanum omnes laudem bonorum omnium, praemia diligentiae splendidissima, inde reportent; ita quoque, vt eleganter litterarum CVLTORES omnes, omnes MAECENATES illam gloriae cupiditatem frequenti concursu excitare in eorum animis velint, omni opere ore atque rogito.

Scribebat. A. D. XVI. Septembr. A. R. S,

CIDICCLXX.



99 4 6985



Retro ✓



37

PROGRAMMA
DE
LOCIS SACRAE SCRIPTVRAE
PARALLELIS
SECTIO III.

QVO
AD EXAMEN
A. D. XXIIII. SEPTEMBER.
IN SCHOLA SENATORIA
INSTITVENDVM
ITEM QVE
AD AVDIENDOS IVVENES QVOSDAM PVBLICE IBIDEM
A. D. XXV. SEPTEMBER. HOR. X.

DECLAMATVROS
OMNES LITTERARVM HUMANIORVM
PATRONOS ET FAVTORES

EA, QVA PAR EST, OBSERVANTIA

INVITAT

M. GVILIelmvs THEODORVS CAROL. ALBERTI
SCHOLAE SENATORIAE HELMSTADIENSIS RECTOR COENOBII
MARIAEVALLENSIS SVEPRIOR ET SOCIETAT. DVCAL.
TEVTON. AB EPISTOL.

HELMSTADII
TYPIS IOANNIS DRIMBORN.